

061

059

065

055

070

050

110

010

160

Ende

Anfang

46

quam bestias. Sic ergo stabant oves, caprae, muli et porcelli per aliquot dies sine aqua ratione in ariditate et siti. In his diebus vidi saepe, quod mane bestiae ipsae lambebant ligna et asperges, rorem, qui noctibus ea madidaverat, inde sugentes. Et quanquam in aquis essemus infinitis, tamen maris aquae nec bestiis nec hominibus sunt potabiles. Potius moritur homo aut bestia potu illius amarissimae aquae, quam refocilletur. Defectus aquae omnes maris miserias excedit. Sileo de marcidis panibus et vermiculosis paximatibus, et muscidis carnibus, et abonimabilibus cocturis, de quibus tamen omnibus contenti fuissemus, si aquam sanam habuissemus ad mensuram, et si non pro sanis, saltem pro nostris miseris infirmis. Saepissime tantam sitim passus ego fui, et tantum aquae frigidae desiderium habui, quod cogitavi, quando contingenet me Ulmam reverti, statim ascendere vellem in Blaubüren et ibi ad lacum de profundo emanentem sedere ad satisfaciendum appetitui meo. Vini defectus non erat in Galēa, sed abundans et praecipuum reperiebatur faciliter. Sed nihil sine aquae admixtione nobis sapiebat propter sui fortitudinem et tepiditatem, et tantum de illo.

Igitur de loco, ubi aquam hauseramus, repente per bonum ventum projecti sumus, ad portum Colossensem ante Rhodiorum civitatem. Erat autem nox, circa horam nonam ante medium noctem et Lunae splendentis clare beneficio, quo navigaremus, vidimus. Cumque portum intrare conaremur, et nostri marinarii vela cum labore clamoroso, ut fieri solet, verterent, incenderunt in turribus lumina, et per muros discurrentes tumultum magnum habuerunt, putantes nos esse adversarios Turcas et incensa una bombarda magna sonitu ingenti nos terruerunt. Quo terrore percussi lumina plurima accendimus et nos, et superioribus Galēae (partibus) stabamus, precantes, ne nos laederent, quia cruce Christi signati essemus, et amici Crucifixi, cuius inimicos paulo ante ni hoc loco prostratos esse nos minime lateret. Hoc cum custodes audivissent, Machinas paratas ad jaciendum contra nos averterunt, et arcus detentos remiserunt. Concurserunt autem undique de civitate super murum cum faculis ardentibus videre hospites Christianos cupientes. Nullam enim navem Christianam adhuc (18A) viderant, ex quo Turcorum classem a se fugaverant.

